

Collectanea
Synodalia
Variarū Diacesium Reg: Pol:
Tomus I.

In quo Continentur

1. Radivilii Constitutiones Synodi Crac: 1593.
2. Maciejowski Consti. Synodi Crac: 1601.
3. Szaniawski Ep. Epist. Pastorali 1720. p.
4. Potocki Archi Ep. Gnesn̄. Epist. Pastorali
5. Szotorski Constitut: Synodi Pojnan̄ 1642. p.
6. Dzialynski Synod Culmensis et Pomejanie 1641.
7. Szotorski Synod Premislaus.
8. Gębicki Consti: Synodi Luceonensis 1636. p.
9. Synod Porzesski. 1597. p.

• *Argentum*
• *Mercurium*
• *Sulfurum*
• *Salicetum*
• *Antimonyum*
• *Chalcocitum*
• *Galena*
• *Leadum*
• *Minerale*
• *Minerale*
• *Minerale*
• *Minerale*
• *Minerale*
• *Minerale*

CONSTITUTIONES
SYNODI DIOECESANAE CRA-
COVIEN: DIE XX. NONA MEN-
SIS MARTII CELEBRATAE, ANNO
DOMINI, M. D. NONAGESIMO
TERTIO.



C R A C O V I A E,
In Archityp. Regia & Ecclesiastica Lazari,
Anno Dñi, 1593.



MF

229869 L

S Y N O D V S D I O E C E S A N A
 Cracouien. Authoritate Illustriss. & Reue-
 rendiss. Domini, Domini Georgij Radziuil, miserati-
 one diuina TT. Sancti Sixti Presbyteri Cardinalis,
 perpetuique Administratoris Episcopatus Cracovieñ,
 in Ecclesia Cathedrali, die xxix. Mensis Martij, Anno
 Domini, M. D. nonagesimo tertio, legitimè incepta,
 & duobus postea diebus sequentibus in vicina Eccle-
 sia Collegiata S. Michaëlis in arce Cracovieñ conti-
 nuata, & conclusa fuit. Cuius quidem Synodi decre-
 ta, de vnanimi consensu Prælatorum, tam secularium
 quam regularium, totiusq; cleri eiusdem Dioec. qui
 ad eam Synodum frequens conuenerat, modo infra-
 scripto promulgata, & ad futuram rei memoriam, de-
 scripta sunt: vtq; Typis excuderentur, demandatū est.

i. **A**Nte omnia, Synodus hæc decernit & statuit, vt
 nemo Abbatum & Prælatorum, audeat & præsumat,
 villas bonorum Ecclesiæ suæ cui præfunt, alienationes,
 similiter & contractus, ac locationes, quæ sapient alienationem, vel in detrimentum qualecunque Ecclesiæ
 suæ cedant, omnino facere; nisi de speciali Sanctæ se-
 dis Apostolicæ, Locordinarij, ipsiusq; Capituli consen-
 su & approbatione. Vbi tamen contractus interce-
 dunt, vel non diuturni, vel de fructibus ac prouenti-
 bus non adeò magnis, Locordinarij, simul & ipsius Ca-
 pituli: vbi de paruis & paruo tempore duraturis; so-

ius Lociordinarij consensus sufficere debet.

2. Deinde eadem Synodus decernit, innouañ. antiqua Statuta hac in parte edita , vt omnes Ecclesiasticae personæ, siue seculares, siue regulares , cuiuscunq; status & conditionis existant, tonsuram deferant, tanturq; proprio & conuenienti suæ cuiusq; professionis habitu,iuxta illam vulgo tritam sententiam : PVL-CHRIOR APPARET, QVI SVA IVRA TENET. Utque ad euitandum luxum in vestitu , obseruentur Statuta Prouincialia, super hac materia sancita.

3. Item decernit eadem Synodus , vt contra quas-cunque Ecclesiasticas personas , cuiuscunque status & conditionis existant, de immundo concubinatus vitio ac peccato conuictas, poenæ iuxta præscriptum Concilij Tridentini Ses. 25. (Quàm turpe) & statutorum antiquorum Prouinciæ Gnesneñ extendantur. Ob idque Synodus hæc iam exnunc Constitutiones hasce Concilij Tridentini, Synodiique provincialis publicat , & intimat omnibus, & pro publicatis , atque intimatis haberi vult.

4. Item, decernit eadem Synodus, inhæreñ. statuto Concilij Trident. hac in re edito , ne SS. Missæ sacrificium, siue à secularibus, siue à regularibus quibuscunq; presbyteris celebretur priuatis in domibus, at-

qu

que omnino extra Ecclesiam , & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria consecrata , vel Altare portatile ex antiquo positum habentia . Utque ex Confistoriis quibuscumque literæ indulti huiusmodi non extradantur .

5. Item , decernit eadem Synodus , vt in insignioribus Diœcesis huius Ecclesiis , Pœnitentiarij idonei constituantur : qui habeant facultatem absolueñ in casibus sedi ordinariæ reseruatis .

6. Item , decernit eadem Synodus , ne Presbyteri , qui Capellani vulgo vocantur , circa personas seculares quascunque versentur , munusq; sacerdotale obeant , sine speciali admissione Domini Lociordinarij .

7. Item , decernit eadem Synodus , vt in decantandis officiis diuinis , vniiformitas iuxta ritum S. R. Ecclesiae , vbiq; per vniuersam hanc Diœcesim seruetur . Ac ideò postulat , vt libri Ecclesiastici , ad conformitatem huiusmodi necessarij , primo quoque tempore imprimentur .

8. Item , decernit eadem Synodus , vt Processus hic Parochorum informatorius , qui publicè lectus est , & à nemine reprobatus , quamprimum excudatur , exiussusq; ad Officiales foraneos transmittatur Sigillo

officij obsignatus; vt ab illis per vniuersas Parochias publicetur, post publicationemque ab omnibus Parochis ad amissim obseruetur.

9. Item, decernit eadem Synodus, vt literæ Monitionis, sub titulo & sigillo Illustriss. Domini Episcopi Cracouieñ, dirigantur ad eas seculares personas, quæ suis in ecclesiis proprios Parochos non habent, quo intra sex mensium decursum, ad hasce Parochias suas presentent idoneas personas: alioquin, si id facere neglexerint, vt Authorit. Ordinaria de illis prouideatur.

10. Item, decernit eadem Synodus, populo sub desertatis Parochiis degenti, viciniores Parochos Sacramenta Ecclesiastica licetè conferre posse. Aliâs nequaquam, nisi de licentia proprij Parochi.

11. Item, decernit eadem Synodus, atque interdit, ne Religiosi quicunque etiam exempti, audeant & præsumant, in vilipendium Authoritatis Ordinariæ, confitentes, à casibus Episcopalibus, atque etiam excommunicationibus absoluere, sine speciali licentia sedis Ordinariæ.

12. Item, decernit eadem Synodus, vt Vicarij ecclesiarum Parochialium, vbi id fieri potest, habeant prouisiones proprias, assignata illis de fructibus & prouenientiis.

uentibus ecclesiæ illius, cui seruiunt, congrua portio-
ne. Aliâs debito salario erunt contenti.

13. Item, decernit eadem Synodus, supplicâ. esse
nomine ipsius, SS^{mo} D. N. vt Illustriss^{mo} D. Locior-
nario cōcedat facultatem disponendi, ac dispensandi
circa pluralitatem beneficiorum, quando iustæ & ra-
tionabiles causæ interueniunt, ad arbitrium ipsius;
considerata & sacerdotiorū & personarum qualitate.

14. Item, decernit eadem Synodus, vt Procurato-
res certi constituantur, ad quos pateat recursus Paro-
chis, aliisq; Presbyteris egenis & pauperibus, pro ip-
orum defensione ab iniuriis & oppressionibus secu-
larium, ac bonorum Ecclesiasticorum recuperatione.

15. Item, decernit eadem Synodus, vt circuitus
circa fontem seu Baptisterium, qui antea tribus die-
bus Paschatis peragebantur, non nisi Sabbatho San-
cto circa benedictionem aquæ fiant.

16. Item, decernit eadem Synodus, vt in Confisto-
riis vbiique separatus habeatur liber, in quo excessus
Cleri, si qui fortè ad iudicium spirituale deuenerint,
annotentur, vtque liber hic non diuulgetur.

, Item, decernit eadem Synodus, ne scholares

qui

qui certas sedes non habent, ex vna schola in aliam commigrare audeant, nisi de licentia & cum testimonio sui Rectoris, sine quibus nulla ratione à quoquam scholæ Rectore, debent recipi. Alioquin scholares temerè vagabundos, poena arbitraria punieñ esse.

18. Item, decernit eadem Synodus, quoniam reperiuntur loca quædam solitaria non approbata, ad quæ confluere solent homines, nescitur qua deuotione per moti, vt Visitatores mittantur eò, qui diligentem inquisitionem faciant de locis huiusmodi, nefortè imponatur plebi imperitæ, ac idololatria ibi exerceatur.

19. Item, decernit eadem Synodus, deputandos esse, iuxta præscriptum S. Concilij Tridentini cap. x. Ses. xxv. viros Iurisperitos, ad audiendum causas per commissionem à S. sede Apostolica deuolutas. Deputatiq; sunt ad huiusmodi negotium Reuerendi Domini, MARTINVS Izbienski de Rusiec Scholasticus, IOANNES Crasinski Cantor, HIERONYMVS Powodowski, PETRVS Gorcinius I. V. Doctor, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Crac. MARTINVS à Radomskie, Præpositus S. Nicolai, extra mœnia Crac. MATHIAS Bech Præpositus, IOANNES Wielicki Decanus & Officialis Ecclesiæ Collegiatæ Sendomirieñ.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. D. GEORGII RADZIWIL, MISERATIONE
ne diuina T. T. Sancti Sixti Presbyteri Cardinalis,
perpetuiq; Administratoris Episcopatus Cracouieñ. etc.

Ad Parochos Dioecesis suæ Cracouieñ.

Epistola.

GEORGIVS RADZIWIL,
miseratione diuina TT. Sancti Sixti Presbyter Cardinalis, perpetuusque Administrator Episcopatus Cracouieñ. &c. Vniuersis & singulis, Plebanis & Vicariis, seu aliis quibuscunq; in Dioecesi nostra curam animarum habentibus, Salutem in Domino sempiternam. Non desunt, Charissimi Fratres, sanctiones Canonicae, tum in Concilio Tridentino, tum in Constitutionibus Synodalibus prouinciæ Gnesneñ. ad eum finem ac usum editæ, ut in Hierarchia Ecclesiastica, iuxta normam illarum, benè & religiosè viuatur, cultusque diuinus retineatur, & Catholica religio augeatur, ac propagetur. Verum, quia frustra esset leges condere, nisi debitæ executioni demandarentur; ad am sanè rem, & nos authores vobis esse operæ pretium est: & vos studiose incumbere debetis. Proinde portamus vos omnes & singulos in Domino, ut, par memores conditionis omnium nostrum commu-

is, quòd post exigui temporis spatium, ex hac mortali vita egressi, sufficientem actionum nostrarum reddituri sumus Deo rationem: partim præ animo & oculis habentes, statum Dioœcesis huius, quæ tot Hæresum monstris vexata, exigit à nobis puram doctrinam, & bonum exemplum, duo potissima aduersus talia monstra præsidia; tandem aliquando honestè, sobriè, & castè viuant; habitu, vita, & moribus, omnique exemplo suo quantum poterint, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, præluceant: dēntq; operam, vt ea quæ sunt toties deliberata & constituta, diligenter obseruent, & ab aliis obseruentur.

IN primis hæc breuiter à nobis collecta, vobis universis & singulis commendantur.

Primò quidem, quælibet Ecclesia Dioœcesis nostræ Cracouieñ. sit bene tecta & clausa. Cemeterium habeat septum: ac fontem baptismalem, mundè ac sub clausura teneat, & custodiat ipsius rector. Et quoties opus fuerit infra Annum, vas ipsum fontis mundet, aquam eiusdem per pannum lineum mundum ad ollam nouam colando, & aqua reposita ad vas suum prædictum sic mundatum, pannus ille comburatur, & olla confracta subterretur.

SAnctissimum Eucharistiæ Sacramentum serue-

4

ture quām diligentissimē , illudque semper in Sacrario
sub firma sera habeatur & custodiatur. Etiam quan-
do ad infirmos itur , relinquatur inibi , propter peri-
culum venientium ad Ecclesiam , ne flecteñ. ante sa-
crarium idololatriam incurant : quodque etiam Pre-
sbyter huiusmodi Venerabilissimum Eucharistiæ Sa-
cramētum, honorificè, videlicet cum superpilicio, sto-
la, & nola seu campana, perferat ad eosdem infirmos ,
& referat statim reuerenter ad Ecclesiam , inibi non
comedendo, neque pernoctando.

ANte tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, ar-
deat cæreus saltem diebus festis , cùm populus in Ec-
clesia congregatur. Sit parvulum tabernaculum ar-
genteum inauratum , ad deferendum Sanctissimum
Sacramentum : sit laterna, vel fax, cæreui, superpilicia.

ITem, quælibet Ecclesia habeat , Missale Roma-
num , Breuiarium , Antiphonarium , Agenda , Gra-
duale , Constitutiones Synodi Prouincialis Gnesneñ.
Cathechismum Tridentinum Latinè & Polonicè , &
Postillam Polonica lingua editam , Iacobi Wuiiek, So-
cietatis Iesv Theologi, & alios libros necessarios. O-
mninò autē abiiciant à se postillas , & alios Hæretico-
rum libros. Sat enim multi & egregij sunt Catholico-
rum libri, ad omnia Parochorū munia piè exercenda.
Feramenta etiam habeantur pro oblatis pistandis, pro

quibus ob reuerentiam tanti Sacramenti farina ostia-
tim non mendicetur, vt est consuetum.

INsuper, habeantur in qualibet Ecclesia Para-
menta, Ornatus, Stolæ, aliaque ad celebrantis orna-
tum necessaria.

SAcræ supellectilis Ecclesiæ fiat diligens Inuen-
tarium, & seruetur apud Plebanum cum Sigillo tum
suo, tum Vitricorum, aut aliorum probatorum ho-
minum. Vnum etiam simile Visitator ad nos mitten-
dum curabit.

ITem, Corporalia sint sana & integra : & primò,
quando opus est, Sacerdotum manibus lauentur : ni-
tidaq; & munda cum pallis & aliis sacris vestibus sem-
per sint. Ecclesia etiam quælibet habeat campanas :
& imaginem crucifixi in medio Ecclesiæ ponat quili-
bet Rector: & Annis singulis nouum chrysima quantò-
cyus post diem Sanctam Louis acquirat : de veteri ve-
rò , extra casum necessitatis, nihil operetur , sed illud
comburat.

ITem, Missalia sint benè correcta , maximè in
verbis consecrationis corporis & sanguinis Domini
nostrí Iesu Christi.

ITem, habeant Plebani Ordinale , aliâs Rubricellam Ecclesiæ Cathedralis, cum qua in horis Canonicis , ac festis celebribus , & aliis diuinis Officiis diligenter se conforment.

Quoslibet Processus nostros , Officialium nostrorum & Archidiaconi , absque mora sub Synodali & alia grauiori pœna exequantur.

ITem, Plebani cæteriq; beneficiati , sint à nobis vel à Prædecessoribus nostris instituti , & teneantur nobis , aut Decanis Ruralibus , seu Visitatoribus nostris, literas Institutionis suæ ostendere.

ITem, quilibet Rector in sua Ecclesia faciat personalem residentiam:nec vltra duos menses siue continuos siue interruptos, sub priuatione (cessante legitimo impedimento) ab eadem se absentare presumat. Libros habeat Authenticos ad prædicandum. Et verbum Dei prædicet: singulisque diebus Dominicis Parochianos doceat , Orationem Dominicam , Salutationem Angelicam , Symbolum Apostolicum , Decem Præcepta. Singulis quoque Dominicis, & aliis festis ad populum celebribus Euangeliū , dignitatemque & vim sacrificij Missæ, Sacramentorum, quò facilius poterit, populo exponat, omnia ad Christianæ viæ rationem accommodando ; vt ex verbo Dei indies

homines aliquem capiant fructum. Festa celebria, & ieunia, maximè præcepti, ipsis indicet, & prænunciet. Moneat porrò populum in ieuniis, quæ sunt de præcepto, & quæ non sunt de præcepto, sed ex deuotio-ne. Est enim in hoc magnū abusus. nam in quatuor temporibus, & aliis ieuniis de præcepto sæpiissimè non ieunant: ieunant verò in aliis diebus, quæ non sunt de præcepto: verbi gratia, in vigilia sanctæ Catharinæ, S. Nicolai, & similibus. Idem faciendum in festorū obseruatione: quia circa festa est idem planè abusus. Idem Parochus Parochianos suos mortalia peccata vitare mandet. Annis singulis ipsos confiteri, & sacram Communionem accipere, saltim in Paschate, sub priuatione sepulturæ cogat & compellat. Cessante legitima causa, nec inimicitiæ excusent, aut actio in iure. Quoniam petita venia, & oblata satisfactione, semotaque penitus ex animo ira & vindicta, quilibet efficacem huius Communionis sacræ reddere se poterit.

Item, quod ipsis Rectores sub eadem priuatione, infra Annum à tempore affsecutionis suarum Ecclesiæ, teneantur ad Sacerdotium inclusuè promoueri, & infra sex menses Missam suam primam celebrare, sub poenis in Provincialibus statutis contentis. Et hoc ideo, ne aliqua suspicio irregularitatis, aut alterius impedimenti de ipsis oriri possit.

Q[uod] vi non resident ordinariè in propriis Plebaniis, ob aliquam causam legitimam; licentiam habent à nobis in scriptis, & Vicarios retineant bonos, honestos, ritè ordinatos, & à nobis probatos, quantum fieri poterit eruditos, non regulares, non Apostatas, aut vagos, publiceque criminosos: teneanturq; condigna salario illis attribuere, vnde commodè viuire possint, ipsiq; ecclesiæ suas sèpius visitent. Monentur autem Vicarij, si in eo senserint se grauatos; vt coram nobis & officio nostro grauamina sua exponant.

I[psius] etiam Plebani, & eorum Vicarij, non negligant ministrare Sacraenta Ecclesiæ Parochianis, præfertim baptisma paruulis, & Pœnitentiam, Eucharistiam tam sanis quam infirmis: Et nullas pecunias exigant pro ipsis, maximè pro copula, vel pro sepultura, nisi id quod spontè, aut ex consuetudine, seu donatione fuerit oblatum.

I[tem], doceat parochianos, qualiter in casu necessitatis paruuli eoru sint baptizandi, hoc est, cum mors imminet ipsis, & ad Ecclesiæ deferrri non possunt.

I[tem], non admittant plures, quam viuum vel vnam, vel ad summum vnum & vnam, ad leuandum infantem de sacro fonte: & neminem in domibus priuatis baptizent. Exceptis filiis Regum & Principum.

Habeant

HAbeant librum in quo scribant nomina Baptizantis & Baptizati, & ipsius parentum, necnon patrinorum: quos interrogent, de Oratione Dominica, & aliis ad salutem necessariis. Alium etiam librum habeant, in quo describant nomina contrahentium matrimonia ac testium, & uterque diligenter seruetur.

NEminem audeant copulare, seu ad contrahendum matrimonium admittere, bannis, bis, in duobus Dominicis diebus, aut festis ad populum celebribus, non præmissis, sub poena suspensionis per triennium; neque aliquas personas vagas, siue etiam temporibus à iure prohibitis, nec consanguineos, aut affines, & spirituali cognatione coniunctos.

SCiant porrò ex cognatione consanguinitatis, & affinitatis impediri matrimonia, usque ad quartum gradum. Affinitas quoque ex fornicatione contracta, ad secundum gradum impedit & dirimit matrimonium inclusuè. Hoc idem operatur cognatio spirituialis, ex baptismo proueniens, inter patrinum & matrinam, puerum aliquem baptizantes, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem. nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantùm.

Ratione verò Sacramenti Confirmationis, ir

pedimentum & cognatio spiritualis inducta , confir-
mantem & confirmatum , illiusq; patrem & matrem ,
ac tenentem non egreditur. Quod ex iure nouissimo
S. Concilij Tridentini , ad huiusmodi moderatio-
nem deuenit. Nam antea latius prohibiciones istae
circa Matrimonia se extendeant. De quo Parochi
populum informare studeant.

ITem, ipsi Rectores, & alij Presbyteri, sciant for-
mam seu verba , quibus sponsalia de futuro contra-
hütur. Forma enim sponsaliorū de futuro hēc est: E GO
TE PROMITTO DVCERE IN VXOREM. De præsentī
verò Matrimonij : RECIPIO TE MIHI IN VXOREM.

IN administrandis quibuslibet Sacramentis , ma-
ximè infirmis , omnem diligentiam & curam adhibe-
ant , cum charitate. Caveant ab omni extorsione pe-
cuniæ, aut muneris: neque quicquam petant, sub pœ-
na arbitrio nostro imponenda. Si quid eleemosinæ
nomine dabitur, non negligent, aut recusabunt. Sint
etiam parati ad deferendum Sanctissimum Sacra-
mentum iis , qui petunt noctu , vel post prandium : quod
quidem iis, qui sunt in necessitate constituti, non est
denegandum.

ITem , curent Parochi , vt illorum, qui extremo
suppicio afficiendi sunt , Confessiones audiant , & e-
C
isdem

isdem Eucharistiam tempestiuè administrent.

Corripiant etiam publicè (in genere tamen) periuros , aut publicos usurarios , blasphemos Dei & Sanctorum, diuinatores , incantatrices , & quæcunq; maleficia exercentes, diuinumque cultum aut seruitium perturbantes.

Item, ipsi Rectores, & eorum Vicarij , inducant parochianos ad solutionem decimarum. Quia debitum solius Dei est, seu tributum, quod sibi reseruauit in recognitionem generalis dominij.

Item, in domibus, vel Sachristia , confessionem non audiant ordinariè , sed huiusmodi Sacramentum poenitentiæ in publico , superpilicio induti, & stola, honorificè administrent. Excepto , si pro audienda confessione , ad aliquem infirmum in ipsius domum acceſſerint.

Item, nullus excommunicatus vel interdictus, sepeliatur in Ecclesia vel cæmeterio.

Item, nulla diuina officia peragantur in Ecclesia vel Cæmeterio sanguine violenter , seu semine humano polluto execratis, priusquam fiat reconciliatio.

ITem, nullus audeat celebrare excommunicatus vel suspensus, aut in loco interdicto, sub pœna irregularitatis.

ITem, Presbyteri peregrini seu forenses, non recipiantur in Vicarios ad Ecclesias, absque literis receptoris Domini Episcopi.

ITem, nemo audeat publicare, aut prædicare indulgentias, nisi prius fuerint per Dominum Ordinarium approbatæ & admissæ.

ITem, Articulos fidei non ignorent, & Claves Ecclesiæ in ligando & soluendo, ac casus Episcopales ac Papales sciant, & conscriptos habeant. Et quomodo debent absoluere excommunicatos in mortis articulo, scilicet recepta cautione idonea de satisfactione; quos quidem infirmos inducant ad contritionem, spem gratiæ & veniæ promittendo eisdem. Hortentur etiā Parochianos suos ipsi Rectores, ad suscipienda singula Sacra menta Ecclesiæ, præsertim Confirmationis, & Extremæ vñctionis, cùm etiam sint valde proficia ad salutem: doceāt quoq; populum, vt se humiliet ad Episcopalem benedictionem: genuaque flectat deuotè & reuerenter, ad eleuationem Corporis Christi.

ITem, mulieres concubinarię seu fornicarię, post

partum non introducantur; ne Ecclesia crimen ipsarum approbare videatur. Presbyter percutiens etiam laicum, non celebret, nisi reconciliatus, & per auctoritatem Ordinariam absolutus.

*Tempore
et facturis*

Item, Presbyteri in administratione Sacramentorum Ecclesiæ, præsertim consecrationis Corporis Domini & sanguinis, debent habere intentionem cōfecrandi actualē vel virtualem, aliās nihil facerent. Formam etiam verborum cuiuslibet Sacramenti sciāt, & cum debita materia in sacramento adhibeant: nullusque sacerdos audeat sacramenta administrare, nisi cum deuotione & reuerentia.

Item, Parochiani singulis diebus Dominicis, audiāt diuina officia in propriis Parochiis, & ieunia precepti obseruent. Parochiani etiam alieni non admittantur per Rectores, neq; eis aliqua Sacra menta conferantur, absq; licentia proprij Pastoris vel superioris.

Item, ipsi Rectores sub pœna excommunicatiōnis, debent nuntiare Domino Episcopo, vel Archidiacono, omnes tam clericos quam laicos, qui aliquam nouam, vel suspectam doctrinam, seu sectam teinent, vel dogmatisant, aut sunt suspecti de hæresi. Scholares etiam venientes ex locis de aliqua hæresi suspectis, non permittant degere in scholis, ne alios inficiant.

21

Item, nullus sacerdos audeat celebrare sine aqua, igne, pane triticeo, & vino saporem habente, ac sacris vestibus, Pallis, seu Mappis ad minus tribus, ac Altari consecrato. Vbi altaria non sunt consecrata, lapis consecratus includatur in ligno diligenter: & sit tantæ latitudinis; vt calicem & hostiam capere possit.

MAppæ sint, quæ contegant totum altare, & lauentur sæpius: nihilque in altari ponatur, quod ad sacram ministerium non pertineat.

SInt Candelabra , Ampulæ , Corporalia , paruæ
Pallæ , Velum pro Calice , Purificatoria , Strophiola ,
Vasculum cum hostiis.

ITem, Sacerdos non audeat celebrare , nisi ho-
ris Canonicis, saltem matutino, ac digestione seu dor-
mitione præhabitum : hoc est, quod nihil sumpserit post
medium noctis illius diei. Et quod hostia populo non
ostendatur , antequam consecratur. Confiteri etiam
debet Presbyter antequam celebret, quoties consci-
entiam lèfam habuerit peccato mortali. Et quod nul-
lus confessionem sibi confessi prodat signo , nutu, vel
verbo, sub pœna depositionis, ac perpetui carceris, &
excommunicationis sententia.

IN sacrificio Missæ, primò Sacerdos examinabit

benè conscientiam suam , faciat deinde præparatio-
nes consuetas , & in ordinando se & præparando , atq;
in aliis cæremoniis omnibus , seruet ad vnguem , quæ
in Missali Romano habentur. Dicat Missam , quò fieri
possit deuotissimè , iejunus ab omni cibo & potu , ni-
hil planè priùs gustando : non sine ministro & cande-
lis : non in loco prophano , neque in Ecclesiis interdi-
ctis , aut prophanatis : neque in non consecratis sine
licentia nostra.

VInum sit non acidum aut corruptum. Hostiæ
sint ex triticea farina , albæ , & mediocriter subtile ,
puræ , & diligenter factæ. Celebrans non dicat me-
moriter , quæ potest legere in libro , præsertim Cano-
nem. Secreta tacitè dicat , non voce eleuata : nullum
verbum addat vel minuat , iis quæ in Missali habentur:
non sit valde morosus , neque valde celer ; sed adhibe-
at iudicium , & seruet mediocritatem. Abstineant Pa-
rochi ab omnibus superstitionibus , tam in Missa , quàm
in aliis Sacramentis. In eleuatione Sanctissimi Sacra-
menti , eam curam adhibeant ; vt tām hostiam , quàm
calicem , post caput non declinent ; sed rectum vtrum-
que eleuent : ita , vt in illud fixos semper oculos habe-
ant. Absoluto sacro , in aliquo commodo loco genu-
flexi , gratias agant , vt in Missali.

CVrent Plebani , vt subditi illorum in spirituali-
bu

bus à Præfectis locorum, sub aliqua pœna compellantur ad audiendum sacrum diebus festis; in quo nos quoque dabimus operam, vt ad ipsos Præfectos ex Cancellaria Regia scribatur.

ITem, circa quamlibet Ecclesiam, habeatur schola, & Clericus seu Minister, qui pueros Parochianorum doceat in moribus, virtutibus, & scientia, in Grammatica, tum in doctrina Christiana: (& non permittant parochi, vt præceptores qui docent in schoulis, vt tantur siue pro se, siue pro pueris, libris Philippi Melanchtonis, aut aliorum hereticorum; sed Catholicos tantum authores interpretentur.) In primis autem prædicti ministri scholæ curent, vt pueri sciant memoriter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Articulos fidei, & Decem Præcepta.

ITem, admonentur Parochi, vt Cantores adolescentes, & alij qui Ecclesiis & scholis seruiunt, sobrietè, quietè, & honestè viuant. Solent enim esse malæ & dissolutæ vitæ, qua plurimos perturbant & scandalizant.

ITem, Rectores & alij Presbyteri, prohibeant coniugibus, ne paruulos secum in lectis locent, propter suffocationem, & quod illos cum omni diligentia custodiant & erudiant. Doceant etiam eosdem coniuges

coniuges in confessionibus, ne tempore menstrui aut puererij inuicem commisceantur. Et quòd populus deuotè ac reuerenter se habeat in Ecclesia, & circa Sacramentorum perceptionem, videlicet Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Confirmationis, & Matrimonij.

ITem, Ipsi Rectores, & alij Presbyteri, in pœnitentiis iniungendis non sint nimium mites, neq; nimium seueri; sed pro qualitate criminum pœnas irrogent, vt peccatores à peccatis arceantur, neque terreantur à Confessione, discretéque se hædeant circa confitentes pœnitentiam iniungendo. Non inquirendo nomina personarum, cum quibus confitentes peccauerunt. Sed tantùm circumstantias, quæ possunt peccata vehementer aggrauare, species, & numerum peccatorum, & etiam peccata visitata scilicet Gulæ, Luxuriæ, Cupiditatis, Homicidij, Periurij, Furti, Vsuræ. Et quibus hoc tempore præsertim genus humanum communiter fædatur & corruptitur, Et non sint cōtentи Confessarii recitare confessionem solam generalem cū pœnitentibus.

HAbeant præ manibus Bullam in Cœna Domini: etiā norint casus Episcopales, inter quos referuamus nobis infrascriptos, cōcedendo tantùm Visitatoribus licentiam & facultatem absoluendi in omnibus, præterquam in crimen Hæresis.

CASVS NOBIS RESERVATI.

CRIMEN HÆRESIS.

Eorum qui Hæreticorum libros damnatos legūt aut retinent.

Clericorum habentium beneficia, & ordinariè nō residentium personaliter sine licentia nostra.

Non satisfacentium pijs legatis.

Eorum, qui in iudicio falsum testimonium dixerunt, siue extra iudicium in scriptis falsa testimonia dederunt.

Sortilegorum seu inuocantium dæmones, & scienter superstitionibus vtentium.

ITEM, Nullus audeat sacra vasa, aut vestimenta, seu res & possessiones Ecclesiarum impignorare vel alienare.

ITEM, Plures Ecclesiæ absque legitima dispensatione, aut alia beneficia Ecclesiastica, sine titulo Canonico nemo audeat recipere vel retinere. Et quidē quilibet Beneficiatus, seu Vicarius, intrare Ecclesiam debet superpiliciatus, præsertim intra diuinum officiū.

ITEM, Nullus Plebanus audeat esse Capellanus Secularis Domini, absque licentia Dómini Episcopi: nec beneficium, aut decimam de manu eius recipere,

aut pacisci secum de quota soluenda pro decima annuatim.

ITem, nullus Clericus aduocet causas seculares in foro seculari, neque fideiußiones faciat, excepta Ecclesiæ necessitate: & nullum Clericum coram iudice seculari pertrahat, seu citet, sub pœna depositio-
nis & amissionis causæ, omisso & contempto proprio Pontifice.

ITem, Sacris Canonibus & Constitutionibus salubriter & prouidè constitutum est. Quòd omnes Clerici, castè & irreprehensibiliter debent viuere: & honestas vestes, coronam & tonsuram congruam, videlicet patentibus auribus deferre: inhonestat vitare, ac loca suspecta, & spectacula non visitare. Nec sanctimonialium claustra visitare, sine licentia superioris, atque ingredi. Tabernas, ebrietatem, commessiones, & gulam, tanquam præparamenta, & incitatiua Luxuriæ, penitus euitare. Arma offensibilia & prohibita non portare. Ludos taxillorum & alearum, cunctaq; alia & inhonesta, nocua, & scandalosa vitare, & virtuosa exercere. Aues etiam, canes venaticos non alere, nec venationibus clamorosis infistere.

ITem, quia Clerici in susceptione sacrorum ordinum, ad seruandam continentiam obligantur: Ita-

que propter honestatem Clericalem , nullus Presbyter de cætero , in domo sua , vel extra domum , in sua procuratione , vel expensis , audeat tenere seu fouere concubinas , seu mulieres suspectas , etiam consanguineas , præsertim iuuenes , sub poenit in Sacro Concilio Tridentino , Cap. xiiij. Sessione 25. constitutis , & sub poena Synodali , pro prima vice seu admonitione : pro secunda , carcere : pro tertia verò priuatione beneficiorum , & expulsione de Diœcesi ,

ITem , Rectores Ecclesiarum , diligenter tueantur domum seu curiam Plebanalem , aliaque omnia bona , redditus & prouentus qualescunque .

Non alienent ipsa bona , neque arendent Hæreticis , sub poena excommunicationis , & aliis quibuscunque secularibus non arendent , sine aliqua legitima causa , quam nobis patefacent : nec ullum prorsus pactum de decimis , & aliis bonis Ecclesiasticis faciant cum secularibus personis , sine expresso consensu Locordinarij .

Dent operam , vt Priuilegia fundationum suarum habeant , & illa authentica , vel exemplum illarum fide dignorum hominum testimonio & sigillis communium , ad nos mittant , vnà cum descriptione & registro omnium bonorum , fructuumque sui Pleba-

natus, & aliorum beneficiorum quorumcunq. Quam quidem descriptionem in Capitulo nostro , aut in Cancellaria seruari mandabimus. Siquid autem usurpatum fuerit Ecclesiæ, dabunt operam, vt recuperent, & ad nos confugient : illis enim hac in parte fauorem nostrum libenter præstabimus.

SI acciderit vacatio alicuius Plebaniæ , per obitum vel alio modo, teneatur vicinior Plebanus statim commonefacere nos , aut Officiale nostrum per literas, aut nuntium, de huiusmodi vacatione.


INterim verò procurabit , ne illius bona , si quæ reliquerit, & supplex Ecclesiæ rapiantur ; sed omnium rerum faciet Inuentarium adhibitis testibus : & fidele depositum in aliquo loco tuto faciet.

DEcanos Rurales , seu Visitatores à nobis deputatos , cum honore recipiant , iisque obedient , nihil eos celando, quod de mandato nostro sciscitabuntur, & cum eis communicent , vel sua vel Ecclesiæ suæ incommoda, quibus quantum in nobis erit, prouidere curabimus.

HÆc pauca Fratres charissimi, Voluimus in initio muneris huius nostri Pastoralis, vobis iniungere. Multò quidem plura esse intelligimus , quæ scire Parrochæ


rochos & obseruare oporteat : sed ea tum Concilij Tridentini , tum Synodi Prouincialis Gnesneñ . Constitutionibus tradita sunt : quę, vt ex fontibus illis hauriatis , vos hortamur in Domino & rogamus : vobisque æternam salutem & pacem , à Iesu Christo seruatorē nostro precamur. Datum Cracouię , die vigesima nona Mensis Martij , Anno Domini , M. D. Nonagesimo Tertio.





• ४२.३७

8
5.26



Biblioteka Śląska

229869 - I

~~229877~~

GIMELIA

MF

dd 436/63 9-700 S2